



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXVI. Christus in cruce pendens, suam demonstrat
misericordiam, sed & justitiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LXVI.

Christus in cruce pendens suam demonstrat misericordiam & Justitiam.

*Misericors Dominus & justus, & Deus noster misere-
tur. Psal. 114. 5.*

I.

Psal. 104. 14.

Gen. 40. 13.

S. Aug. ep. 48.
& in Tract. 31.
in Joan.Matth. 24.
40.

Joseph Jacobi Patriarchæ filius, ubi innocens in Ægypto in lacum missus est, ferreisque adstrictus vinculis diu crudele martyrium tulit (prout observat David: *In servum venundatus est Joseph: humiliaverunt in compedibus pedes ejus: ferrum pertransiit animam ejus.*) Tandem in ipso adhuc carcere constitutus Judicis officio functus est, dum medius inter duos concaptivos suos uni, pincernæ videlicet, vitam, & alteri magistro pistorum perniciem & mortem annuntiavit: *Recordabitur Pharaon ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum; Et ad alterum: Auferet Pharaon caput tuum, & suspendet te in cruce.*

A typo ad prototypon veniamus. Joseph in pluribus Christum præsignavit, ac præsertim in infami crucis ligno in medio pendens latronum, ubi uni vitam & æternam salutem prædixit: *Hodie mecum eris in paradiso*, alterum verò velut reprobum morti æternæ & carceri tartareo mancipatum reliquit: *Tres cruces*, tubintrat hic S. Augustinus, *in uno loco erant, in una latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Christus, alterum liberaturus, alterum damnaturus.* Et iterum in alio loco sic ait: *Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit, in medio enim judice constituto, unus latro, qui credidit, liberatus, alter, qui insultavit, damnatus est.*

2. Ecce hic verificatum fuit illud, quod ipse Dominus ante crucifixionem suam palam edixit: *Duo erunt in agro, unus assumetur, & unus relinquetur.* Duo erant in agro Golgothæo, ambo morte & gehennâ digni, unus assumptus est à crucifixo Domino, gratiâ nimirum ejus præveniente, concomitante & consequente, per quam ad veram contritionem ac poenitentiam dispositus est, sed alter scelerum socius æternum rejectus est, quia ipse noluit salvari.

Obse

Obſerva hic: Miſericors quidem eſt Dominus, & dupliciter miſericors, ita Vates Regius: *Miſericors & miſerator*, & quid ſequitur? *Et* *Psal. III. 4.*
justus. O quot gratias tibi promeruit & obtulit crucifixus Jeſus, & tu adhuc ſtas immotus? Audi S. Hieronymum. *Erige aures peccator: Miſericors eſt Dominus: ſed noli eſſe negligens, ſequitur enim, & justus.* *S. Hieron in Psal. I 14.*

3. Moylem attende. Cùm pugnaret Joſue contra Amalec, ipſe manus & ſinul virgam erigebat ad DEum in cœlum: *Dixitque Moylem ad Joſue: Elige viros: Et egreſſus, pugna contra Amalec: cras ego ſtabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.* *Exod. 17. 9.*

Moylem hic Chriſtum crucifixum præſignavit in monte Calvario ad Patrem expanſis manibus pro ſalute noſtra orantem. Sed obſerva: Virgam ſuam pientiffimus Redemptor, hoc eſt crucem, ſemper in manu ſua habuit, virga autem eſt juſtitiæ Dei ſymbolum, impietatis ultrix & vindex. Væ tibi, ſi hic non attendis, & ſolum ſperas miſericordiam, contemptâ divinâ juſtitiâ, utraque enim ad ſalutem eſt tibi neceſſaria: *In tempore utrumque*, erat ſymbolum Maximiliani II. Imp. qui pro ſuo ſcuto aquilam habuit, uno roſtro palmam, & altero fulmen geſtantem cum hoc acroamate: *Utrumque in tempore.* Ita Chriſtus in cruce. Si ſapis, capis.

4. De Ezechiele Propheta recenſent Sacræ Paginæ, quòd aliquando viderit Cherubinum, qui duas præſeferebat facies, unam hominis, alteram leonis: *Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, & facies leonis.* *Ezech. I. 10.*

Cherubinus hic volans Chriſtum Jeſum & hunc crucifixum adumbravit, qui hic in terra inter mortales & peccatores converſatus pari modo duas induit facies, unam hominis, alteram leonis: Hominis, inquam, faciem indutus eſt, dum carnem humanam à Virgine aſſumpſit, quam pro noſtra omniumque ſalute tradidit in ara crucis immolandam, ubi cùm malediceretur, non maledicebat: *cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti ſe injuſtè, qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui juſtitiâ vivamus, cujus livore ſanati eſtis.* *1. Petr. 2. 23.* Sed & faciem leonis obſtinato latroni in cruce, & impiis Judæis interfecto-ribus ſuis oſtendit, dum eos è templo flagello ejecit, unico verbo & intuitu in monte Olivario in terram proſtravit, & in cruce pendens omnino faciem ſuam ab illis ad Occidentem avertit, indignos judicans, quibus amplius Sol juſtitiæ præluceret, unde de illo Jeremias: *Dorsum & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum.* *Jerem. 18. 17.* ſi crucifixus Jeſus tibi aliquando in mortis tuæ articulo talem demonſtrabit faciem! tunc tanquam *Leo rugiet, & quis non timebit?* *Amos 3. 8.*

S. August.
tract. 36. in
Joan.

5. De Aquila observat S. Augustinus, quod proles suas in facie ardentis & altissimi solis severè probare, & unguibus suspendere soleat: Si lucidissimos solis redios fixo & irretorto possunt aspicerè oculo, ut proles suas legitimas agnoscit, si verò parùm acie palpitaverint, tanquam foetum adulterinum ab unguibus demittit, rejicit, & in abyssum præcipitat, unde rectè pro lemmare illi inscribes: *Probat, & reprobatur.*

Deut. 32. II.

Aquila hæc Christum in cruce elevatum adumbrat; Sic enim comparatur à Moysè: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis &c.* Verùm hic observes, rogo anime mi! quod hæc aquila divina & misericordiam & justitiam etiam in tribunali crucis exercere soleat, ubi in veritate sicut aquila provocans alas & brachia sua extendit, & super nos volitat, imò & in humeris suis portat; sed væ nobis, si post tot ac tanta beneficia filii adulterini & ingrati pulli inveniamur, tunc jure merito illud nobis poterit objicere: *Perditio tua Israël; tantummodo in me auxilium tuum.*

Ecce 13. 9.

6. Nec desunt exempla, quibus hanc magis dilucidamus veritatem.

P. Guilielmus
de Wael S. J.
in Corona SS.
Vulnerum.

In Hispania magnus quidam Dominus sanguine nobilissimus, sed flagitiis plurimum infamis gravi morbo de vita periclitari cœpit. Venerat tunc fortè in illam civitatem S. Franciscus Borgia à Gandiæ Duce Societatis Jesu Generalis Tertius, vir Apostolicus & animarum salutis sitientissimus, qui audito hoc summo moribundi periculo in conclave suum secessit, & ibidem ante crucifixi simulacrum in genua provolutus, hunc desperandum divinæ Bonitati, quatenus congruam illi pœnitendi gratiam elargiri dignaretur, summis votis commendavit. Hæc dum fiunt, ecce tibi ingens prodigium! Servator, qui in cruce pendebat, sub tò loqui, & in hæc verba solvi cœpit: *Adi Franciscus confestim agrum, eumque hortare ad pœnitentiam & confessionem peccatorum, & ego illi ut medicus & infirmorum curator adero;* quâ voce animatus Borgia, ad moribundum sine mora contendit, quem & mundi Salvator in specie Medici invisit, qui ad lectulum confidens cum S. Borgia blando sermone illum ad pœnitentiam & salutarem peccatorum confessionem adhortabatur. Verùm uterque oleum & operam perdidit, dum infirmus omne consilium & salutaria monita contumaciter rejecit atque contempsit. Interim cœlestis Medicus parat abitum, & paulò post Franciscus impensius hujus peccatoris æternam considerans ruinam, rursus in suo conclavi coram eadem thaumaturga Crucifixi statuâ in genua prostratus, per acerbissimam passionem ac SS. Vulnera pientissimum obtestatur Redemptorem, ut infinitum profusi cruoris sui pretium in hoc miserrimo peccatore non in æternum

num sinat perire; ad quem Dominus: *Conveni iterum pertinacem illum Franciscus, meque Jesum deser, si forte me conspecto cruci pro se fixo, convertatur & vivat.* Franciscus de novo voce divinâ animatus rursus ægrotantem accedit, secumque lamentabilem illam crucifixi Jesu imaginem defert, quam infirmo submissis in terram genibus considerandam exhibet, & per ejus SS. Vulnera, passionem ac mortem rogat & obsecrat, ut tandem in se rediret, æternitatem nunquam terminandam perpenderet, & dignos, antequam suprema vitæ immineret hora, pœnitentiæ fructus faceret. Quid hic expectas optime Lector? An non Marpesia ad talia verba colliquesceret cautes? En iterum novum prodigium! Cum ad hæc omnia obsurdesceret miser ille Hispaniæ Grandis, vultumque obstinatè à Crucifixò ad parietem averteret; tum ecce misericordissimus, sed & hic justissimus Salvator manum dexteram è cruce revellit, & sacrosanctum cruorem è laterali vulnere collectum in faciem hujus obstinatissimi peccatoris in testimonium æternæ illius damnationis projicit, ad quod miser sine mora execrandum in manus infernalium dæmoniorum evomit spiritum.

Nunc amice Lector, pro reflexione morali unà mecum perpende ineffabilem Crucifixi Servatoris nostri misericordiam & simul justitiam, quam etiam in cruce, tanquam in signo, cui contradicetur, positus, in ruinam & resurrectionem multorum exhibere assolet. Nunc penès nos est, an illius misericordiam, an exactam in morte justitiam velimus experiri. Væ nobis, si pertinaces in peccatis nostris usque in finem perseveraverimus, tunc, prout loquitur Rupertus

Abbas, *SSma ac veneranda Domini Vulnera æterna nobis sunt futura incendia.* Hæc considera, & vade in pace.

